



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 15. Deo non secus ac Aureliano, ob fortitudinem laudes dicendas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Gigantibus, alijsq; monstris ornari.

145

piè venerarentur, vt eruta demum sepulchro tanti herois ossa, non sine superstitione diriperent, cùm quisque se bello inuitum tutumque fore crederet, si frustulum ex ossibus inuictissimi Imperatoris in amuleto è ceruicibus suspensum iturus in prælium gestaret. Hæc pleraque Iouius. Barletus scribit, prælium inituro, præter cetera mirabilia mutati vultus signa, ei labrū inferius scindi solitum cum copia multa sanguinis. Defunctus est hic heros anno ætatis LXIII. Christi MCCCCLVI. die Ianuarij XXVII.

Barlet.  
lib. 8. de  
vita & ei-  
us gestis.

### § XV.

*Deo non secus ac Aureliano, ob fortitudinem,  
laudes dicendas.*

Horum talium vel immanitas corporis, vel animi magnitudo, ostendit, quanta sit Dei magnitudo. Herculem enim, & Oriomen, ob talia, ad sidera usque transtulerunt. *Quorum si specie delectati, deos putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum miratis sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creature, cognoscibiliter poterit creator.*

Sapi. 13.3.

L horum

horum videri. Qui proinde in illis etiam  
est laudandus. Et utique artificem laudat,  
qui opus illius laudat. D. Aurelianum, me-  
morat Flaujus Vopiscus statura procerum,  
& neruis validissimis fuisse, utiturque te-  
stimonio Theoclij, manu sua, bello Sarmati-  
co, vna die quadraginta & octo interfe-  
cisse; diversis autem diebus, ultra non  
gentos quinquaginta. Ob quam fortitu-  
dinem pueri in Aurelianum cantiunculas  
composuerunt, & choros, quibus, diebus  
festis, militariter saltitarent, in hunc mo-  
dum instituerunt. *Mille, mille, milles, mille,*  
*mille, mille decollauimus.* *Vnus homo mille,*  
*mille, mille, mille decollauimus.* *Mille, mille,*  
*mille viuat, qui mille, mille occidit.* Tantum  
vini habet nemo, quantum fudit sanguinis. Et  
cum Francos deinde domisset, denuò  
cecinerunt. *Mille Francos, mille Sarmatae*  
*semel occidimus. Mille, mille, mille, mille,*

1. Reg. 18. *le Persas querimus.* Ad eundem ritum olim,  
cum reuerteretur percosso Philistæo David,  
egressæ sunt mulieres, de univerbis urbibus  
Israel, cantantes chorosq; ducentes in occur-  
sum Saul regis, in tympanis latitiae, & in si-  
stris. Et præcinebant mulieres ludentes atq;  
dicentes: *Percosit Saul mille, & David de-*

6070

Gigantibus, alijsq; monstrib; ornari. 147

cent millia. Quæ laus, cùm homini dare-  
tur, Deo & Domino exercituum data est.  
Qui enim agnoscunt, vnde veniat fortitum  
fortitudo, clamant: Gladius Domini, & Ge-  
deonis. O quām ingrati, & quām horum  
immemores sunt, qui multos audiunt præ-  
claros in bello viros, & factis verè gigan-  
tes, insignia facinora edidisse, neque ta-  
men idcirco Deo laudes gratesq; dicunt!  
Quid in paruis facient, qui neque corpo-  
ra, neque facta magna nōrunt æstimare?  
Aliter ille censuit, qui dixit: Dominus for-  
titudo plebis sua; & alter: dedit Dominus Eccli. 46.  
ip̄i Chaleb fortitudinem. Quam quia Deus 11.  
dat, à Deo petere; &, si dedit, Deo in ac-  
ceptis referte debemus, neque de corporis  
proceritate, statura, viribusq; insolescere;  
ne donis illum suis offendentes, ad iram &  
vindictam prouocemus.

#### §. XVI.

Dei potentia, contra potentes, offensa.

Quippe etiam in his potentiam suam  
facit manifestam, vt dicere debeamus: Non 1. Reg. 2.2  
est fortis sicut Deus noster; coram quo, gi-  
gas non salvabitur in multitudine virtutis sua.  
Ita enim potens est, vt potentes deponat de Luc. 1.  
sede sua, & excelsos hos possit humiliare.

L 2      Magnus

Iudic. 7.  
20.

Psal. 27.8.

Eccli. 46.

11.

1. Reg. 2.2

Luc. 1.